

5 NVTRITOR. Prima nostrae Physiologiae intentio praecipuaque materia erat quod ΥΠ-
ΕΡΟΥΣΙΑΔΕΣ (hoc est superessentialis) natura sit causa creatrix existentium et non
existentium omnium, a nullo creata, unum principium, una origo, unus et uniuersalis
10 uniuersorum fons, a nullo manans, dum ab eo manant omnia, trinitas coessentialis in
tribus substantiis, ΑΝΑΡΧΟΣ (hoc est sine principio), principium et finis, una bonitas,
deus unus, ΟΜΟΥΣΙΟΣ et ΥΠΕΡΟΥΣΙΟΣ (id est coessentialis et superessentialis).
Et, ut ait sanctus Epifanius, episcopus Constantiae Cypri, in ΑΓΚΥΡΑΤΩ sermone de
fide: *Tria sancta, tria consancta, tria agentia, tria coagentia, tria formantia, tria con-*
15 *formantia, tria operantia, tria cooperantia, tria subsistentia, tria consubsistentia sibi*
inuicem coexistentia. Trinitas haec sancta uocatur: tria existentia, una consonantia,
una deitas eiusdem essentiae, eiusdem uirtutis, eiusdem subsistentiae, similia similiter
aequalitatem gratiae operantur patris et filii et sancti spiritus. Quomodo autem sunt,
ipsis relinquuntur docere: ‘Nemo enim nouit patrem nisi filius, neque filium nisi pater,
20 *et cuiuscumque filius reuelauerit’; reuelatur autem per spiritum sanctum. Non ergo haec*
tria existentia aut ex ipso aut per ipsum aut ad ipsum in unoquoque digne intelliguntur,
| R, 264^r | sicut ipsa reuelant: ΦΩΣ, ΠΥΡ, ΠΝΕΥΜΑ (hoc est lux, ignis, spiritus).
Haec, ut dixi, ab Epifanio tradita, ut quisquis interrogatus quae tria et quid unum
in sancta trinitate debeat credere, sana fide | J, 1^v | respondere ualeat, aut ad fidem
25 accedens sic erudiatur. Et mihi uidetur spiritum pro calore posuisse, quasi dixisset in
similitudine: lux, ignis, calor. Haec enim tria unius essentiae sunt. Sed cur lucem
primo dixit, non est mirum. Nam et pater lux est et ignis et calor; et filius est lux,
ignis, calor; et spiritus sanctus lux, ignis, calor. Illuminat enim pater, illuminat filius,
illuminat spiritus sanctus: ex ipsis enim omnis scientia et sapientia donatur.

14–15 Matth. 11, 27 17 EPIPHANIVS, *Ancoratus* 67; PG 43, 137C–140A; GCS 25, p. 82, 2–12

1 incipit... ΠΕΡΙΦΥΣΕΩΝ] *om. R, incipit quartus M* 2 ΑΝΑΚΕΦΑΛΙΟΣΙΣ] *FJP, lege*
ἀνακεφαλαίωσις physiologiae] *phisiologiae P, physeologiae R* quod] *p. natura transp. MR*
2–3 ΥΠΕΡΟΥΣΙΑΔΕΣ] *codd. Vtrum ὑπερουσιώδης (hoc est superessentialis) natura cum Gale (p.160)*
an ὑπερουσιότης (hoc est superessentialis natura) cum Floss (PL 122,741C) intelligendum sit, ambigitur
7 ΟΜΟΥΣΙΟΣ] *codd., lege ὁμοούσιος et* R¹, *om. R⁰* 8 ΑΓΚΥΡΑΤΩ] *anchurato MR* 8–9 de
fi de] *Glo(ssa): Ita enim uocatur sermo eius de fi de ΑΓΚΥΡΑΤΟΣ, id est procuratus mg. add. FJP*
9 agentia] *actiua MR* formantia] *formatiua MR* 10 operantia] *operatiua MR* 12 eiusdem]
eiusdemque M eiusdem uirtutis, eiusdem subsistentiae] *om. M* subsistentiae] *substantiae R*
similiter] ex simili MR 13 sunt] *om. M* 23 spiritus sanctus] *sanctus spiritus R*